

Olivarius Xaviero Hispanico amico suo gregique salutem.

Equidem, cum numquam eas litteras *-cia / -cie* pro *-tia / -tie* (quae ad pronuntiationem mediaevalem atque etiam nunc ecclesiasticam attinent) usurpem, me fateor his litteris "*ja, je*" pro "*ia, ie*" abusum esse, quod sine dubio confusionem dolendam in orthographiam meam injicit.

Hic enim est usus scholasticus apud nos Francogallos a saeculo XVI^o, quo facilius differentia inter "*i*" vocalem et "*i*" semi-consonantem (= "*j*") percipiatur. Idem de graphiis "*u*" et "*v*" accidit quamquam tempore Romanorum hi soni "*j*" et "*v*" non exstabant. Haec differentia orthographica utilissima fuit ut orthographia et lectio sonorum FRANCOGALLICORUM clarius fieret. Introductae sunt igitur hae litterae "*j*" et "*v*" a docto viro nomine Ramo (unde litterae "*Ramistae*" quoque appellantur). Francogalli autem eundem usum in Latinae linguae scholasticis libris adhibere inceperunt quo facilius discipuli in "*jacere*" e.g. verbum "*jeter*" recognoscerent. Qui usus facit ut nunc "*vult*" mihi paulo facilius lectu ac "*uult*" videatur. Verumtamen, et Francogalli in editionibus quae "*scientificae*" dicuntur (e quibus praecipuae collectioni nomen est Budé) sicut in alienibus editionibus scribunt : "*iacere*", "*uult*", cet.

De hac re et "*mendositate*" Francogallicae consuetudinis Quintilianus clarissimus est :

"Atque etiam in ipsis uocalibus grammatici est uidere an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia «iam» sicut «etiam» scribitur et «uos» ut «tuos»"(*Inst. orat.* I, 4, 10).

Qua de re Julius Marouzeau, ille Sorbonnensis Professor emeritusque Latinista, eo tempore quo pronuntiationem restitutam cum aliis magistris imponere pugnabat, orthographiam Quintilianam, ut ita dicam, commendat, monens ut Francogallicam ad sermonem Francogallicum tantum servet (cf *Introduction au latin*, Lutetiae, 1941, p.16).

Nonnumquam hic usus iuventutis / iuventutis meae facit ut aliis quoque clariorem credam orthographiam scholasticam. Sed me opportune mones res non ita esse !

Ut Blasius Pascal ipse prudenter scripsit : "*Quod citra Pyreneum est verum, falsum ultra.*" ("*Vérité au deçà des Pyrénées, erreur au delà*", 294 in ed. Leonis Brunschvicg). Nonne ? ;-)

Vale ac valete.

PS : Francogallus Pierre de La Ramée, Latinato nomine Ramus, ca a. 1515 natus, in caede Sancti Bartholomei scilicet d.25 m.Aug. a.1572 vitam perdidit. Cuius docti excellentis opus et vita quamdam relationem Latinam mereretur.